

Ad Ioannem Pascoli poetam latinum

Alcaico carmine cecinit

Michael ab Albrecht

Vates, manent te maxima tempora,
Gentes ad omnes vox tua pervenit.

Cum ceterae linguae senescant,
Haec pereat, revirescat illa,

Stat una florens, interitu carens. 5
Stant verba rebus congrua Tullio
Reperta ; stant dictae Maroni
Laeta seges tenuisque myrtus.

Amissa rerum vera vocabula;
Voces inanes vas vacuum crepat? 10
A vate dicuntur Latino
Aurea dicta: doli recedunt.

Sermone, vates, uteris omnium,
sed eleganter, verius omnibus.
Verâque naturâ repertâ 15
Mortua lingua eademque viva est.

Finis poetae primus et ultimus:
Fontes ad illos, unde creatus est,
Redire, natura docente,
Perpetua viridem iuventa. 20

Beate, vocis rupibus his tuae
Servatur echo, ros lacrimas refert,
Et cordis ardorem micantis
Arborei resonant tremores.

Notulis instruxit et Germanice vertit
Valahfridus (Wilfried Stroh)

1 Cf. Ovidium (am. 3,9,29): *durat opus vatium*

2 Sic Ovidius quoque ad Corinnam (am. 1,3,25): *nos quoque per totum pariter cantabimur orbem* (quamquam tum quidem Latina lingua artioribus terminis circumscripta erat.) Nota dulce homoeoteleutum: *Vates – Gentes*.

3-8 In prima strophâ ortus interitusque linguarum declarantur, secunda opponit huic mobilitati linguam immortalem aptissime per monosyllabum validum *Stat*, quod postea in anaphoris repetitur.

6-8 Exempla immortalitatis sunt Ciceronis Vergilique opera: In illo laudat quod omnia apte i.e. magna vehementer, parva summis dicat, in illo quod utilitatem segetum cum iucunditate myrti Veneri dicatae coniunxerit.

9-12 Iam Thucydides (3,82,4) questus est rerum vera nomina perisse, cum audacia diceretur *virtus*, pro modestia autem esset *ignavia*; idem fere Sallustius (Cat. 52,11). Quod poeta primum in nostra tempora trahere videtur, quibus vates tamen veras voces rebus restituat, tum in Latinam linguam ipsam, quae nullo iure ut mortua contemnatur.

13-16 Latinum sermonem non solum ideo vivere dicit, quod immortalis sit, sed quod hoc tempore magis quam aliae linguae verum dicere possit.

14 *Eleganter* dicit non tam qui ornatu utitur quam qui omnia aptissimis verbis denotat (cf. M. v. Albrecht, *Meister röm. Prosa* 78, 82, 145).

17-20 *Ad fontes* redeundum esse magni illi uiri clamabant, quos humanistas dicimus. Hic tamen poeta minus de doctrinae, quam de Musarum fontibus cogitare videtur, qui illum *vatem* olim creaverint, nunc ut iuvenescat faciant. Sed omnia haec poetica licentia magis arcana quam dilucida sunt. Vt toto carmine poeta iter quoddam a perspicuis ad obscuriora et paene mystica affectat.

21-24 Immortalitatis allegoria suavissima, qua poeta iterum Ioannem, cuius iam oblitus videri possit, alloquitur. Nota varietatem et gradationem in *servatur – refert – resonant*.

Dein, Dichter, warten große Jahrhunderte;
zu allen Völkern dringt deiner Stimme Klang.

Die andern Sprachen altern kläglich:

Diese versinkt, es erhebt sich jene –

da trotzts nur eine blühend dem Untergang: 5
So bleibt, was einmal Tullius wortgewandt
gesprochen, was gesungen Maro:
üppige Saat und bescheidne Myrte.

Nennt man die Dinge nicht mehr mit rechtem Wort?
Tönt hohler Schall aus leerer Gefäße Bauch? 10
Da schöpft aus Latiums Sprache truglos
goldene Worte der treue Dichter.

Du, Dichter, sprichst die Sprache der ganzen Welt,
und sprichst sie treffend, wahrer als alle Welt.
Denn sieht man auf das wahre Wesen, 15
ist sie lebendig, die tot geglaubte.

Dies ist des Dichters erstes und letztes Ziel:
zu jenen Quellen, denen er einst entsprang,
wie die Natur lehrt, heimzukehren,
grünend in ewiger Jugend Frühling. 20

O glücklich du, tönt hier von den Felsen doch
dein Echo, ist der Tau deiner Tränen voll,
und deines Herzens heißes Schlagen
klingt noch im bebenden Lied der Bäume.